

SUPREMO HONORI

*Plurimum Reverendi, Amplissimi atque  
Præclarissimi*

DOMINI

M. HENRICI

GOLTZII,

Archi-Diaconi optimè de Ecclesia Cniphofiana meriti,

CUM

EXUVIÆ

VIRI BEATE DEFUNCTI

D. 16. April. 1715. dormitorio,

Solenni Exequiarum die,

*non sine plurimorum luctu,*

*inferrentur,*

CARMINA HÆC LUGUBRIA

posuerunt

RECTOR ET PROFESSORES

ACADEMIÆ REGIOMONTANÆ.

---

REGIOMONTI, Literis REUSNERIANIS, 1715.





U quoties plenus faciebas Numine GOLTZI  
 Verba secutura nuntia certa spei:  
 Concio mora Tuo dum pendet prorsus ab ore,  
*Angelus*, auditor credidit omnis eras.  
 At cum Te tantis oppressit pestibus, eheu!  
 Dira lues, mortem visa negare tamen:  
 Vidimus, ah nimium dura experimenta fuere!  
 Vidimus, *humano* corpore natus eras.  
 Quam bene mutata vivis jam sorte *beatus*,  
 Intrans angelicos, *angelus* ipse choros:  
 Morbofoque *hominem* pariter cum corpore ponens.  
 Mors Tibi non mors est, sed medicina malis.  
 Ast Vos defuncto quibus est modo patre dolendum,  
 Et quondam dulci fida marita viro:  
 Sat flestis miseri, durat dum vita, labores,  
 Gaudia quis placida morte parata gemat?

*Imq. scrib.*

Bernhard von Sanden, D.  
 Acad. p. r. Rector.



Ortunæ sentit duros Urbs Insula casus  
 Mox *Sacri Vigiles* eripiuntur Ei!  
 En alium chronicus morbus premit! hunc manus *Almi*  
 Sanet, ut officio præsit in *Æde DEi*!  
 Ast Alii mandant munus deponere Fata!  
 Mercedem Munus vult DEus hocce sequi,  
 Erigat id *Tristes*! Vivit *Pater* atque *Maritus*  
 Et *Pastor summus*: quæ *Trina Trinus* erit!

*Hæc lugubri manu posuit*

Christianus Walther,  
 S. Theol. D. & Prof. Secund.  
 GOLZY,



GOLZY Mors meritò lacrymis defletur acerbis,  
 Mysta fuit doctus, candidus atque pius.  
 Theiologi decus est candor, primusque character;  
 Candor Pastoris gloria prima boni.  
 Nulla habita est unquam sine fructu Concio ab illo  
 Gratia quippe Pius, pœnaque dicta malis.  
 Insuper Ejus erat doctrinæ consona vita,  
 Omnibus exemplo præfuit ille suo.  
 Hinc in pace manet Nomen memorabile Juste  
 Cum Vidua Soboles sit benedicta precor.

*Supremo Honori Viri optimi, omnique laude dignissimi  
 lugens scrib.*

Theodorus Pauli, D.



Mollia tranquillus sic clausit lumina somnus,  
 Qui sanctos Christi dogmate pavit oves.  
 Excubiis Domini dum servas anxius agnos,  
 Atque illos stygii pellis ab ore lupi.  
 Irruit in corpus denso velut agmine morbus  
 Occultus nervos torquet ubique dolor.  
 Diffugiunt tacite longo cum tempore vires;  
 Vitalis linquit membra caduca calor,  
 Vitaque deproperans tenues vanescit in auras.  
 Nobilis æthereas avolat umbra plagas.  
 Plangite tristem obitum Pallas, Respublica Cives  
 Kniphovii, lugens plorat ovile DEI.

*Trist. pos.*

Joh. Steinl D.



Orporis exuvias deponit GOLZIUS agras,  
 Et mors crudelis morte necata perit.  
 Ut prius aſveto languebant corpora morbo:  
 Sic doctor clarus luce refulget ovans.  
 Conjugis & patris fortem nolite dolere,  
 Felix, qui tandem sic renovatus erit.

Johannes Ernestus Segers,

S. Theol. D. P. P. nec non Græc. Liter. Prof. Ord.  
 h. t. Decanus.

Cum



**Q**uia sint bella piis cum sint certamina præsto  
Plurima cum gemitu sint mala juncta simul;  
Non deerit certè requies dulcissima pacis,  
Sed læti capient gaudia summa poli,  
Non etenim digni nostri vel mille labores  
Tanto sunt pretio quod DEus ipse parat.

*Lug. scripsit.*

**Georgius Thegen,**

Phil. Pract. P. P. Ordin. Facult.  
Philosoph. Senior.

**V**inea culta fuit, *Te Servo*, fertilis uvæ:  
Haud falsus sudor defuit atque labor.  
Nunc Dominus voluit maturos carpere fructus,  
Cordaque nunc musto spargere purpureo.  
Latetur Domino mens: prostratumque labore  
Corpus morbosum, recreet alma quies!

*Amico veteri mæstus scripsit*

**M. Laurentius Weger,**

Prof. Ord.

**Q**uandius & Quandtissa, sacrae sunt nomina Gentis,  
Goltzius his vitæ & morte beatus erat;  
Illum Conjugiò dulci Quandtissa beavit,  
Quandius adjunctus morte beare valet.  
Et Quantus fuerit Præco Christi que Minister,  
Eloquium gratum vitæque sancta probant.

**David Blæsing,**

Mathem. Prof.

